

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Des. Erasmi Familiarium colloquiorum opus

Erasmus, Desiderius

[Heidelberg], [ca. 1615]

Charon, Genivs. Alastor

[urn:nbn:de:bsz:31-109179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109179)

(a) *Irus* apud Homerum mendici pauperis nomen (b) Neronem hoc fecisse, author est Sueton. (c) *Coræbi* viri stultitia proverbio locum dedit. (d) *Fiscus* hic nomen habet, quod olim in fiscellis, hoc est, sportulis pecunias colligebant. (e) Author Xenophon in Repub. Lacedem. (f) locus est in dictione equulei, quod & parvum equum & tormenti genus significat.

CHARON, GENIVS.

*ALASTOR.

CHA. Quid ita properas gestiens Alastor. AL. Opportunè tu quidem o Charon. Ad te properabam. CHA. Quid novarei? AL. Nuncium fero tibi Proserpinæq³, latissimum futurum. CHA. Effer igitur quod fers, teq³, exonera. ALA. Furie non minus gnaviter, quàm feliciter gesserunt suum negotium: nullam orbis partem non infecerunt malis tartareis, dissidiis, bellis, latrociniis, pestilentis, adeò ut planè iam calve emissis (a) colubris sint: & exhaustæ venenis obambulent, quærentes quicquid nusquam est viperarum & aspidum, quando tam glabræ sunt, quàm ovum, & pilum non habent in capite, neque quicquam in pectore succi efficacis. Proinde tu fac cymbam, ac remos appares. Mox enim ventura est tanta umbrarum multitudo, ut verear ne non sufficias omnibus transmittendis. CHA. Ista nos non fugerant. AL. Vnde rescieras. CHA. Ossa pertulerat ante biduum. AL. Ut illa deâ nihil est velocius. Sed quid tu igitur hic cessas relicta cymba? CHA. Ita nimirum res ferebat. Huc profectus sum, ut mihi compararem validam aliquam

aliquam triremem: nam mea cymba iam vetustate
 putris ac futilis non suffecerit huic oneri, si vera
 sunt, quae narravit Ossa. Quamquam quid opus erat
 Ossa? res ipsa compellit. Nam naufragium feci.
 ALA. Nimirum totus distillas: suspicabar te re-
 dire e balneo. CHA. Imò enatavi, è(c) Strygia palu-
 de. AL. Umbras ubi reliquisti. CHA. Natant cum
 ranis. AL. Sed quid narravit Ossa? CHA. Tres orbis
 monarchas capitalibus odiis in mutuum exitium
 ruerre, nec ullam orbis Christiani partem immunem
 esse abelli furis: nam tres illi reliquos omnes per-
 trahunt in belli consortium, omnes esse talibus ani-
 mis, ut nemo velit alteri cedere: nec Danum, nec
 Polonum, nec Scotum: nec verò Turcam inte-
 rim esse in otio, moliri dira: pestilentiam ubiq; se-
 vire, apud Hispanos, apud Britannos, apud Ita-
 los, apud Gallos. Ad haec novam esse luem ex opi-
 nionum varietate natam, quae sic vitiauit omnium
 animos, ut nulla usquam sit sincera amicitia, sed
 frater fratri diffidat, nec uxori cum marito con-
 veniat. Spes est, hinc quoq; nascituram olim magni-
 ficam hominum perniciem, si res à linguis & cala-
 mis ad manus pervenerit. AL. Haec omnia verissi-
 mè narravit Ossa. Nam ipse plura vidi his o-
 culis, assiduus comes & adiutor furiarum, quae nul-
 lo tempore magis declararunt se suo dignae nomine.
 CH. Atqui periculum est, ne quis demon exoria-
 tur, qui subito adhortetur ad pacem, & sunt mor-
 talium animi mutabiles. Nam audio apud superos
 esse(d) polygraphum quendam, qui calamo suo non
 desi-

desinit insectari bellum, & ad pacem cohortari.

AL. Ille iam pridem surdis canit. Olim scripsit pa-
eis profligata querimoniam, nunc eidem extinctæ
scripsit epitaphium. Sunt alii contra, qui non minus
iuvant rem nostram, quàm ipse furia. CHA. Qui-

nam isti? ALA. Sunt animalia quedam pullis,

& candidis palliis, cinericiis tunicis, variis orna-
ta plumis, hæc nunquam recedunt ab aulis princi-

pum: instillant in aurem amorem belli, hortantur
eodem procures ac plebem, in Evangelicis illis

concionibus clamitant bellum esse iustum, san-
ctum ac pium. Quoque magis mireris hominum

fortem animum, clamitant idem apud utramque
partem. Apud Gallos concionantur: Deum stare

pro Gallis, nec vinci posse, qui Deum habeat protè-
ctorem. Apud Anglos & Hispanos, hoc bellum

non à Casare geri sed à Deo: tantum præbeant
se viros fortes, victoriam esse certam. Quod si

quis interciderit, eum non perire, sed recta subvo-
lare in cælum sicut erat, armatum. CHA. Et ha-

betur istis tanta fides? ALA. Quid non potest simu-
lata religio? Accedit huc inventus rerum imperi-

ria, gloriæ sitis, ira, animus ad id, quò vocatur, na-
rurâ propensus. His facile imponitur, nec diffi-

cile perpellitur plaustrum suapte sponte propendens
ad ruinam. CH. Ego istis animalibus lubens ali-

quid boni fecero. AL. Appara lantum convivium.
Nihil potes gratius. CH. Ex (e) malvis, lupinis &

porris. Nam apud nos non alia est, ut scis annona.
AL. Imò ex perdicibus, capis, & phasianis, si vis

esse

esse gratus convivator. CHA. Sed quæ res istos movet, ut tantoperè promoveant bellum? Aut quid hinc metunt commodi? AL. Quia plus emolumenti capiunt è morientibus, quam ex vivis. Sunt testamenta, parentalia, bullæ, multa, alia non adspersanda lucra. Denique malunt in castris versari, quam in suis alvearibus. Bellum multos gignit episcopos, qui in pace ne terentii quidem se habent. CHA. Sapiunt. AL. Sed quid opus est triremi? CHA. Nihil, si velim in media palude rursus naufragium facere. ALA. Ob multitudinem? CH. Scilicet. ALA. Atqui umbras vehis, non corpora. Quantulum autem ponderis habent umbræ? CH. Sint (f) tipula: tamen tipularum tanta vis esse potest, ut onerent cymbam. Tum scis & cymbam umbratilem esse. ALA. At ego memini me videre, cum esset ingens turba, nec cymba caperet omnes, à clavo tuo tria millia umbrarum pendere nonnunquam, nec tu pondus ullum sentiebas. CHA. Fateor tales esse animas, quæ paulatim demigrarunt è corpore phthisi aut (g) hellicæ tenuaro. Ceterum quæ subito revelluntur è crasso corpore, multum corporeæ molis secum ferunt. Tales autem mittit (h) apoplexia, (i) synanche, pestilentia, sed præcipuè bellum. AL. Non opinor Gallos aut Hispanos adferre multum ponderis. CHA. Multò minus quam ceteri; quanquam & horum animæ non omnino veniunt plumæ. Ceterum è Britannis, è Germanis benè pastis veniunt aliquoties tales, ut nuper periclitatus sim decem duntaxat vehens:

& nisi

Et nisi (k) iacturam fecissem, perieram unâ cum
 cymba, vectoribus & nauulo. ALA. Ingens discrimen.
 CHA. Quid interea censes fieri, cum accedunt
 crassi Sarape, Thrasones, & Polymacharoplacida?
 ALA. Ex his qui percunt in iusto bello, nullos
 arbitror ad te venire. Nam aiunt, eos rectâ sub-
 volare in cœlum. CHA. Quò subvolent, nescio, u-
 num illud scio, quoties bellum est, tot ad me veniunt
 saucii lacerique, ut demirer unum superesse apud
 superos. Nec solum veniunt onusta crapulâ & ab-
 domine, verum etiam bullis, & sacerdotiis, aliisque
 rebus plurimis. AL. At ista non deferunt secum,
 sed nude veniunt ad te. CHA. Verum: sed quæ re-
 centes veniunt, somnia talium rerum secum adfe-
 runt. AL. Itane gravant somnia? CH. Gravant
 cymbam meam: quid dixi gravant? Iam demerse-
 runt. Postremò tot obulos putas nihil habere sarcinae?
 AL. Equidem arbitror, si ferant areos. CH. Pro-
 inde certum est mihi prospicere de navi, quæ sufficiat
 oneri. AL. O te felicem! CH. Quid ita? AL. Quia
 propediem ditesces. CH. Ob multitudinem umbra-
 rum? AL. Ne. CH. Siquidem suas opes secum ad-
 ferant. Nunc qui in cymba deplorant, se apud supe-
 ros reliquisse regna, præsulatus, abbatias, auri ta-
 lenta innumera, ad me nihil adferunt præter obulū.
 Itaq; quod iam annis ter mille mihi corrasum est, id
 totum est effundendum in unam triremem. AL. Sum-
 ptum faciat oportet, qui querit lucrum. CH. At qui
 mortales, ut audio felicius negotiantur, qui favente
 (l) Mercurio dicescunt intra triennium. AL. Sed videm

Oo decoquunt

decoquunt nonnunquam. Tuum lucrum minus, sed certius CH. Nescio quàm certum: si quis Deus nunc exoriat, qui res principum componat, fors hæc tota mihi perierit. AL. Ista quidem de re inbeo, ut me sponfore in utramque aurem dormias. Intra decennium totum nihil est quod pacem metuas. Vnus Romanus Pontifex sedulo quidem hortatur ad concordiam, sed (m) laterem lavat. Murmurant & civitates tædio malorum: conferunt susurros populi, nescio qui: dictitantes iniquum, ut ob privata iras aut ambitionem duorum triumve, res humane sursum deorsum misceantur: sed vincent, mihi crede, quamlibet recta consilia, furie. Ceterum quid opus erat hac gratiâ petere superos? An apud nos non sunt fabri? Certè Vulcanum habemus. CH. Pulchrè, si querā navim æream. AL. Minimo ascersetur aliquis. CH. Ita est: sed deficit nos materia. AL. Quid audio, nihil illic silvarum? CH. Etiam nemora, quæ fuerant in campis Elysiis, absumpta sunt. AL. In quem tandem usum? CH. Exurendis hereticorum umbris, adeò ut nuper coacti simus, è terra visceribus carbones effodere. AL. Quid? an iste umbræ non possunt minore sumptu puniri? CH. Sic visum est Rhadamanto. AL. Vbi triremem mercatus eris, unde remiges parabuntur? CH. Mee partes sunt tenere clavum: remigent umbra, si velint trahere. AL. At sunt, quæ non didicerunt remum agere. CH. Apud me nullus est eximius: rem gant & monarchæ, remigant & Cardinales, suam quisq; vicem, non minus quàm plebei tenuis, siue

sive didicerint, sive non didicerint. AL. Tu fac dextro Mercurio feliciter mercere irremē. Ego nō te remorabor amplius. Orco latū adfram nunciū. Sed heus tu Charon. C. Quid est? A. Fac matures reditū, ne te mox obruat turba. C. Imō iā plus, q̄ ducēta millia offendes in ripa, præter illas q̄ natāt in palude. Prope-rabo tamē quātū licebit. Dic illis me mox adfuturū.

(*) *Alastor*, malus genius, infestus Dæmon. (a) Alludit ad fabulam Eumenidum, quæ pro coma angues nutrire dicuntur. (b) *Ossa*, fama: dea est apud Homerum. (c) Aristophanes fingit in Stygia palude multas esse ranas. (d) *Polyeraphus*, qui multa scribit. Sic autem seipsum vocat hic & alibi. (e) *Malva* & porrum inferorum victus est: & lupinos si non maceres commodē, mirum quā amarescant. (f) *Tipula* Vermiculus de araneorum genere, levissimus, ut qui supra aquam currat. (g) *Hæticæ*, febris species, paulatim conficiens corpus. (h) Intemperantia mater apoplexiæ. (i) *Synanche* Latinis angina, itidem causam habet plenitudinem. (k) Faciunt iacturam nautæ, cum ob periculum evitandum exonerant navem, abiectis etiam quæ pretiosissima sunt. (l) *Mercurius* deus lucri & mercatorum præses. (m) *Lavat laterem*, qui inanem operam sumit. Vide Chil.

SYNODVS GRAMMATICORVM

personæ.

ALBINVS, BERTVLPHVS, CANTHELVS,
DIPHYLVS, EVMENIVS, FABVLLVS,
GADITANVS.

AL. Est ne quisquam in hoc numero, qui didicit *Arithmeticam*? BE. Cui tandem rei? AL. Qui certum doceat, quot convenerimus Grammatici. BE. Istus quidem, citra (a) calculos, vel digiti nostri nobis dicere poterunt. Te pono in pollice, me in indice,

Oo 2

Canthe-